



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

5. Vtrùm amentes confirmandi sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

enim Confirmationis non est omnino necessarium, sicut est Eucharistia, ac proinde hæc sumi potest, non susceptâ Confirmatione.

Major difficultas est de Sacramento Ordinis propter decretum Conc. Tridentini sess. 23. c. 4. de Reform. ubi dicitur: *Primâ Tonsurâ non initiuntur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*, Sed passim omnes Doctores negant in illis verbis contineri præceptum aliquod, nisi fortè directum ad Episcopos ordinantes qui eâ in re debent ad vigilare, quos puto graviter peccare si aliter fecerint.

Objicies: Per susceptionem Ordinis saltem Diaconatûs & Sacerdotij ordinatus fit quodammodo dux militiæ Christianæ, cum autem per characterem Confirmationis fideles fiant milites Christiani, videtur incongruum aliquem fieri ducem militiæ, antequam miles sit. Resp. Hinc tantùm sequi incongruentiam aliquam, quam libenter admittimus,

ARTICULUS V.

Vtrùm amentes Confirmandi sint.

Distingendum est de amentibus perpetuis, qui numquam ad usum rationis pervenerunt.

pervenerunt
turi sunt
usum ratio-

Quo
a. 8. § En
firmand
Sacram
quam p
confessi
videatur

Aliter
etiam il
jus extra
tem ca
tualis cr
bit. Ta
quem a
Nec ef
cramen
statim p

Quo
habuer
possit,
petierin
amenti
velle in
subsidio
petierin
etione.
licet et
cogitav

pe

pervenerunt, nec regulariter unquam perventuri sunt. Et de amentibus qui post habitum usum rationis in amentiam inciderunt.

Quoad primos tenet Soto 4. dist. 7. q. 1. a. 8. §. *Enascitur* ex Marsilio, tales non esse confirmandos, licet, si confirmentur, sit validum Sacramentum; & in hoc fundatur quod nunquam possint gratiâ Confirmationis in fidei confessione fungi. Præterquam quod magna videatur esse irreverentia.

Aliter tamen tenendum est; videlicet quod etiam illi confirmari possint; Tum quia nullum jus extat quo hoc prohibeatur. Tum quia saltem capaces sunt illius augmenti gratiæ habitualis cui major gloria in cœlis correspondebit. Tametsi nunquam illo augmento per aliquem actum confessionis fidei uti poterunt. Nec est major irreverentia in ipsis ad hoc Sacramentum, quàm in pueris erat quando olim statim post baptismum confirmabantur.

Quoad alios amentes qui usum rationis habuerunt, etiam dicendum est, quod conferri possit, licet etiam ante amentiam hoc non petierint, dummodo non fuerint infideles ante amentiam. Quia quicumque fidelis censetur velle interpretativè omnia ordinaria salutis subsidia, licet dum possent, illa non expressè petierint. Sicut sæpè contingit in extrema unctio, quæ datur infirmis in phrenesim lapsis, licet etiam nullatenus petierint, aut de illâ cogitaverint.